in monte et esto ibi; Daboque tibi tabulas lapideas et legem ac mandata que scripsi: ut doceas filios israel; Surrexerunt moyses et iosue minister eius: ascendensque moyses in montem dei senioribus ait; Exspectate hic donec revertamur ad vos; Habetis aaron et ur vobiscum: siquid natum fuerit questionis referetis ad eos; Cumque ascendisset moyses operuit nubes montem et habitavit gloria domini super synai tegens illum nube sex diebus. Septimo autem die: vocavit eum de medio caliginis; Erat autem species glorie domini quasi ignis ardens super verticem montis: in conspectu filiorum israel; Ingressusque moyses medium nebule: ascendit in montem. Et fuit ibi quadraginta diebus et quadraginta noctibus; Gr. Tribulationes cordis mei dilatate sunt de necessitatibus meis eripe me domine. Vide humilitatem meam et laborem meum et dimitte omnia peccata mea.

Devotionem populi tui quesumus domine benignus intende: ut qui per abstinentiam [illegible] macerantur in corpore: per fructum boni operis reficiantur in mente. Per.

In diebus illis: [illegible] venit helyas in bersabee iuda et dimisit [illegible] puerum suum et perrexit in deserto [illegible] cumque venisset et sederet subter unam iuniperum: petivit anime sue ut moreretur et ait: Sufficit mihi domine tolle animam meam neque enim melior sum quam patres mei.

[illegible] et ecce angelus [illegible] subcinericius panis et vas aque; Comedit ergo et bibit et rursum obdormivit; Reversusque est angelus domini secundo: et tetigit eum dixitque illi; Surge comede: grandis enim tibi restat via; Qui cum surrexisset: comedit et bibit; et ambulavit in fortitudine cibi illius xl diebus et xl noctibus. Tr. De necessitatibus meis eripe me domine. Vide humilitatem meam et laborem meum et dimitte omnia peccata mea. Ad te domine levavi animam meam deus meus in te confido non erubescam neque irrideant me inimici mei. Etenim universi qui te expectant non confundantur [illegible] inanes.

In illo tempore: Accesserunt ad ihesum scribe et pharisei dicentes; Magister volumus a te signum videre; Qui respondens ait; Generatio mala et adultera signum querit: et signum non dabitur ei nisi signum ione prophete; Sicut enim fuit ionas in ventre ceti tribus diebus et tribus noctibus: sic erit filius hominis in corde terre tribus diebus et tribus noctibus; Viri ninivite surgent in iudicio cum generatione ista et condempnabunt eam quia penitentiam egerunt in predicatione ione: Et ecce plus quam iona hic; Regina austri surget in iudicio cum generatione ista et condempnabit eam quia